



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Euphrosynus C. 11. Septembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

## S. EUPHROSYNUS C. II. Septembris.

**M**Ala cape sis ex Elysiis hortis, quid horres?  
 securus cape. Non illa sunt, à quibus primi  
 parentis dentes obstupuerunt. Nec Eva mater,  
 sed EUPHROSYNUS porrigit, ille quidem terræ fi-  
 lius & inter monachos ad culinæ nidorem dam-  
 natus, sed cujus labores cælo impendio sapiebant.  
 Ostendit hoc sacerdoti & ipsi integerrimæ vitæ,  
 quanti eos faciat, quos imprudens nihili facit tel-  
 lus. Sordebant huic jam diu humana, & nauseabat  
 mortalia immortalis animus; illas gustare delicias  
 auebat, quas alieno gustu miselli perdidimus. Ne-  
 que negavit DEVS, sed votis tam piis satisfactu-  
 rus, extasi abreptum in felicissimos hortos transfu-  
 tulit. Ibi dum ille gaudiis inundatur, EUPHROSY-  
 NVM nostrum videt non jam ignobilis terræ co-  
 lonum. Atque ut ne somnum crederet somniūm-  
 ve, accipit ab eo laudata à nobis poma, quæ vel  
 odore suavissimo patriam suam loquerentur. In-  
 terea ære campano ad preces matutinas vocante  
 sibi redditur Sacerdos, & dum ad templum pro-  
 perat, involuta pallio poma reperit: mox ubi ea-  
 dem omnia ex EUPHROSYNO intelligit, Ascetis  
 munera portentosa & in his virtutem EUPHRO-  
 SYNI prædicat. Et nobiles quidem illi fructus  
 fructus alios quotidie miracula proferebant, at  
 EUPHROSYNUS proditus fugâ se subduxit. Et quò,  
 ais, fugit ille? Nempe si sic illi Paradisus patebat,  
 gratis jam quæris. *Ex Mem. Gracis.*

*Nihil est, benedictæ fili, quod possit aut debeat præfer-  
 ri ei, qui est verus Dominus, & verus Pater, & Impe-  
 rator æternus. Cui enim rectius vitam nostram impen-  
 dimus.*



*dimus, quàm illi à quo accepimus? cui si in hoc seculo militaverimus, tunc ad ipsum transire merebimur.*  
S. Paulin. ep. 39.

## S. THEODORA POENITENS.

II. Septembris.

**V**trum an feminam spectâsse te, lector autumas? utrumque, si mihi credis. Nam femina, puto, fuit THEODORA, cum lapsa est, vir, cum surrexit. Id te vita docebit. Tenebat illa matronas inter Alexandriae principem locum. Sed ex hoc lena eademque venefica turpiter dejecit, cum qua Sol occidens non spectat scelera impunè perpetrari suasit, itaque adulterium persuasit: ac si unum solummodo cælum oculum haberet & mediâ etiam in nocte Argus non esset. Vidit ipsa THEODORA crimen, cum primùm lux animo aborta est, & quò ruborem absconderet, cœnobio se abdidit, utque viros effugeret, inter viros virum se venditavit. Et jam lacrimas quibus facinus piabat, vel Crocodilus probaverat, dum dorso innoxiam per fluctus tulit; jam silvæ, per quas invidi monachi intempestâ nocte miserant à feris devorandam, virum & ipsæ crediderant; cum loco pellere dæmon malus aggressus, non quidem virum negavit THEODORAM, sed tamen infamis mulierculæ operâ patrem mentitus est. Poterat se ipsam absolvere THEODORA sexum fatendo, sed maluit suum sub alieno scelere scelus luere. Itaque pulsa cum infante septem ipsos annos propter Monasterii fores jacuit cæli hominumque injuriis exposita. Denique cætera miracula, & morientis apud cælites gloria Cœnobiarchæ ostensa, adductusque eodem temporis articulo maritus, mors ipsa